

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Antichristus h
cum fonte primo

Helias

quippe ante aduentum iudicis Saluatoris
non immerito speratur esse uenturus
qui etiam nunc uiuere non immerito creditur.
Curru namque igneo raptus est de rebus humanis
quod euidentissime scriptura sacra testatur.
Cum ergo uenerit exponendo legem spiritualiter
quam nunc Iudei carnaliter sapiunt,
conuertet cor patris ad filium,
id est corda patrum ad filios

cum intelligenciam patrum perducet
ad intelligenciam filiorum.

Augustinus libro XX. de ciuitate Dei capitulo
XXIX.

Per hunc Heliam magnum mirabilemque
prophetam exposita sibi lege ultimo tempore
ante iudicium Iudaeos in Christum uerum,
id est in Christum nostrum, esse credituros,
celeberrimum est in sermonibus
cordibusque fidelium. Ipse
quippe ante aduentum iudicis Saluatoris
non inmerito speratur esse uenturus,
qui etiam nunc uiuere non inmerito creditur.
Curru namque igneo raptus est de rebus humanis,
quod euidentissime sancta scriptura testatur.
Cum uenerit ergo, exponendo legem spiritualiter;
quam nunc Iudei carnaliter sapiunt,
conuertet cor patris ad filium (Mal. 4:6),
id est cor patrum ad filios;
singularem quippe pro numero plurali
interpretes septuaginta posuerunt;
et est sensus, ut etiam filii sic intellegant legem,
id est Iudei, quem ad modum eam
patres intellexerunt, id est prophetae,
in quibus erat et ipse Moyses;
sic enim cor patrum conuertetur ad filios,
cum intellegentia patrum perducetur
ad intellegentiam filiorum;
et cor filiorum ad patres eorum,
dum in id, quod senserunt illi, consentiunt et isti;
ubi Septuaginta dixerunt:
Et cor hominis ad proximum suum.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.29
(CCSL 48, B. Dombart ed., pp.752-3, ll.7-25).